



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Pœnitentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

& bestialitatis specie distinguuntur: ergo.

P Œ N I T E N T I A .

501. **Q**Uæritur. An pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium possit, qui loco ipsius pœnitentiam impleat?

Resp. Non posse, constat etiam *ex Florent. & Trident. Sess. 14. Cap. 3. Can. 4.* materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus pœnitentis, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, ergo sicut nequit Contritio poni per alium, ita nec potest satisfactio, sive salutaris, sive præservativa alteri demandari, tum quia si in aliis præceptis, puta de audienda Missa, de recitandis horis, de jejunando, non potest alius substitui, à fortiori in hoc præcepto Confessarii; cum enim *ex Trident. cap. 8.* pœnitentia imponatur ad novæ vitæ custodiam, & ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, constat exigi ad executionem hujus præcepti actionem personalem, ut ille ipse, qui peccavit, puniatur; regula enim juris, quod possit quis per alium facere, quod potest per seipsum, tunc solum valet, quando non exigitur ex speciali ratione actio personalis, ut quando pœnitens, cui imposita fuit eleemosyna pro pœnitentia, eam per tertiam personam implet; constat denique ex Decreto Alexandri VII. damnantis propos. 15.

502. **Q**Uæritur. An possit Confessarius pœnitentiam sic imponere pœnitenti, ut per se, vel per alium impleat?

Resp. Negativè, nec is excusaretur à peccato, neque satisfactio ab alio pro pœnitenti-

nitente facta foret Sacramentalis, quia non esset actus pœnitentis, nec pro eo satisfactoria, nam peccata exigunt, ut ipsemet peccator pœnam à Sacerdote taxatam sustineat nisi justa causa interveniat, ob quam Confessarius in id consentiat.

503. Quæritur. An pœnitens pro auctoritate possit commutare pœnitentiam sibi injunctam in opus evidenter melius?

Resp. Negativè, ratio est, quia id adversatur communi Theologorum, & Fidelium sensui, & censetur temerarium, quemadmodum enim non licet auditionem Missæ ab Ecclesia præceptam, vel jejunium Quadragesimale commutare in opus evidenter melius, ita à fortiori nec pœnitentiam à Confessario tanquam Judice impositam, quæ est pars integralis Sacramenti.

504. Quæritur. An pœnitens lucrando Indulgentiam plenariam possit eximi ab onere implendi pœnitentiam impositam?

Resp. Probabilius esse, non posse, tum quia id temporis revera imponuntur levissimæ pœnitentiæ, quæ vix sufficiunt per modum medicinæ, tum etiam quia si sententia affirmativa esset vera, nunquam Homo teneretur pœnitentiam implere, quia innumeræ suppetunt Indulgentiæ, quas pœnitens posset lucrari, quod est absurdum. Verum quamvis juxta doctrinam aliquorum possit pœnitens omninò eximi ab onere pœnitentiæ injunctæ lucrando Indulgentiam plenariam, non idcirco potest aut pœnitentiam illam in opus evidenter melius commutare, aut ad illam implendam alium sibi substituere, ut dictum est.

505. Quæritur. An pœnitens possit pœnitentiam non acceptare, vel injunctam non imple-

implere contentus luendi in Purgatorio pœnam temporalem debitam?

Resp. Conveniunt DD. pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam præservativam, & adimplere, ut si ei præcipiatur v. gr. ne ingrediatur domum, in qua est occasio peccandi &c. Sed dividuntur de pœnitentia, ut est satisfactoria pro pœna temporali; aliqui affirmant, sat esse, ut pœnitens velit eam in Purgatorio peragere, hæc tamen sententia communiter à Theologis rejicitur, & à nonnullis contra fidem, temeraria, ac improbabilis reputatur; cum enim ex Tridentino *sess. 14. cap. 8.* Sacerdos potestatem habeat ligandi, non poterit pœnitens ab obligatione implendi pœnitentiam ullatenus se eximere, atque adeo ad illam acceptandam, & implendam (nisi fuerit irrationabilis) tenetur sub mortali; quamvis materiæ parvitas ex communi sententia à gravi obligatione excuset, ut si pœnitentia imposita sit pro solis venialibus, vel si pro solis mortalibus aliàs ritè confessis, aut si omissio sit levis.

R E G U L A R I U M P R I V I L E G I A.

506. **Q**Uæritur. An Regulares possint in foro Conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum?

Resp. Opinionem affirmativam docuerunt nonnulli, quorum sententia, utpote à parte rei falsa, ad praxim nullatenus deduci potest, nam ab Alexandro VII. cum propos. 36. damnata fuit; nec pro foro externo, in quo ex ipsius sequela multum pax læderetur, & inter Episcopos, & Religiosos

fos